



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Novæ Observationes Et Additiones Ad A. R. P. D. Bartholomæi Gavanti Congreg. Cleric. Regul. S. Pauli ac Sac. Rit. Congregat. Consultoris Commentaria In Rubricas Missalis Et Breviarii Romani**

Adjectis Summorum Pontificum & Sac. Rit. Congreg. Decretis usque ad  
præsens emanatis

Complectens omnia Gavanti Commentaria in Rubricas Breviarii - Cum  
Indicibus Decretorum, Rerum atque Verborum notabilium

**Merati, Gaetano Maria**

**Augustæ Vindellicorum, 1740**

**VD18 10783695-002**

De Communi Apostolorum. I.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39775**

## S E C T I O   O C T A V A . D E   C O M M U N I   S A N C T O R U M .

### Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

#### Cap. I. De Communi Apostolorum.

I. Gavant. pag. 138. col. 1. n. 1. -- *Apostolis & Evangelistis, &c.*) Optimè notat Guyetus lib. 9. cap. 3. quest. 1. præter undecim, ac Paulum à Christo Domino vocatos, Judæque locum subrogatum Matthiam, & adjectos ipsis, Barnabam, Lucam, & Marcum, nullis Sanctis aliis tribui debere Apostolorum Officium, quamvis appellatione Apostoli, sive in Panegyricis, sive etiam in Martyrologio, Tabulisque Ecclesiasticis decorentur. Ex quo Marcus, & Lucas Evangelistæ Apostolorum Choro adnumerati sunt, optimè sancitum est ab Ecclesia, ut Apostolis, & Evangelistis in Breviario Commune sit Officium, & mirari satis non desino cum Guyeto loc. cit. quòd in antiquo Breviario Sylvanectensi Commune Evangelistarum, quòd diversum in eo planè est, præferatur Communi Apostolorum, quando, sicut Apostoli gradu, & dignitate cæteris Sanctis præstant, sic eorum Commune Officium deberet primùm omnium collocari, sicut optimè collocavit Romana Ecclesia, & ne ullus sit Controversiæ locus, utrisque, nimirum tam Apostolis, quàm Evangelistis, idem Officium Commune rectissimè tribuit.

II. Gavant. pag. 138. col. 2. n. 2. -- *Qui unius celebrat Festum non excludat alios, &c.*) In hoc Apostolorum Officio, cum recitatur de uno tantum Apostolo, videtur numerum pluralem sæpiùs adhibitum non convenire, sed huic difficultati optimè occurrit Gavantus, dicendo, Apostolorum Chorum ita esse unum, ut qui unius celebrat Festum, non excludat alios. E contra opponet alius Antiphonās 7. & 8. Matutini, 1. 2. & 3. in secundis Vesperis, cum sint singularis numeri, pluribus Apostolis, quando Officium simul recitatur, haud convenienter aptari, ob idque aliquas illarum in antiquo Cluniacensi Breviario, aliisque Monasticis inveniri mutatas; & egomet sæpiùs audivi aliquos secundam in secundis Vesperis Antiphonam ita enunciare: *Collocet eos Dominus &c.* loco dicendi: *Collocet eum Dominus.* Sed invariata semper debere esse has Antiphonas, sive de uno, sive de pluribus Apostolis celebretur Officium, certum omnino est, satis enim pluribus ista conveniant, si de unoquoque seorsim verè enunciantur, ut optimè etiam notat Guyetus lib. cit. quest. 2.

### Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

#### Cap. II. De Communi Martyrum.

I. Gavant. pag. 140. col. 1. n. 5. -- *Ad de his ob eandem causam &c.*) Optimè notat Gavantus, quòd in Officio Martyrum, qui

pro Christo perierunt quidem, sed non effuso sanguine, debet omitti & octavum, nimirum: *Hic est verè Martyr, qui sanguinem &c.* cujus